et ex illis occidetis et crucifigetis et ex eis
flagellabitis in synagogis uestris et persequemini de ciuitate in ciuitatem. Et reliqua.

Narrat superior textus euuangelii. qualiter dominus conflictum habens cum iudeis conuicerit eos homicidas et homicidarum filios. Qui cum aedificarent sepulchra prophetarum et ornarent monumenta iustorum. dicentes. quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum. non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. in hoc se filios eorum ostendebant qui prophetas occiderant. quia animum plenum habentes inuidie. Christum eiusque discipulos persequebantur. Unde et dominus adiungit dicens. Itaque testimonio estis uobismet ipsis. quod filii estis eorum qui prophetas occiderunt. et uos implete mensuram patrum uestrorum. Ac si diceret. Quod illis defuit. uos inplere cupitis. Illi occiderunt membra. uos caput persequimini. Illi prophetas. uos ipsum dominum prophetarum qui ab eis predictus est occidere desideratis. Et in me meisque discipulis quos illi. quia ideo non uiderunt. non occiderunt. uos uidentes illorum desiderium inplere desideratis. Quibus congruit quod subditur. Serpentes genimina uiperarum. quomodo fugietis a iudicio gehenne. Recte ergo uiperarum nomine. isti uocantur. quia sicut ex uiperis uipere. et ex serpentibus serpentes nascuntur. sic isti ex uenenatis parentibus uenenatum animum trahentes. Christum eiusque discipulos persequi moliebantur. Conuenit autem istis quod uiperarum natura traditur esse. ut in conceptione moriatur pater. in parturitione mater. Quamuis enim diuersa sint genera uiperarum et serpentium.

parabus ambo. ubi nulla habi[...]
consistit. quia non solum homo si accet[...]
etiam si auis desuper uolauerit. afflatu earum interimitur. Quarum conceptio tarde aduenit. Sed quotiens cumque aduenerit. ita fit ut in conceptione moriatur pater ut diximus. et in parturitione mater. Nam tempore conceptionis. mas caput in ore femine mittit. At illa pre nimio amore stringens. caput illius abscidit. Cum uero tempus parturitionis aduenit. scinditur uenter matris. et sic filii egrediuntur. Et ita fit. ut in conceptione moriatur pater. in parturitione mater. Unde uipera dicta est. quod ui pereat. uel ui perire faciat. Tales ergo per similitudinem fuerunt iudei. quia Christum qui eos spiritaliter generare uenerat. crucis patibulo cruentis manibus tradiderunt dicentes
Crucifige crucifige illum. Et si hunc dimittis. non es amicus cesaris. Ecclesiam quoque que spiritalis mater erat. eorum futura. persecu[...]
sunt. primum in apostolos. per quos sancta ec[...]
regebatur. deinde in eorum successores [...]
nunc dicitur. Ecce ego mitto ad uos [...]
phetas et sapientes et scribas. Sed in[...]
huius lectionis hereticorum dogma[...]
qui dixerunt alium deum esse ueteris [...]
et alium noui. cum dicit. ecce ego m[...]
prophetas et sapientes et scribas. A[...]
Ego qui quondam ad patres uestros m[...]
et sapientes et scribas. idem ipse e[...]
mitto nunc prophetas sapientes [...]
Fuerunt enim in ueteri testamento [...]
sapientes et scribe. fuerunt e[...]
ueteri testamento fuerunt propha[...]
mias et multi alii. Fueru[...]
salomon. et samuel. et plu[...]

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.12, 6v – Passiones et Homiliae sanctorum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-vfyk/5161/49412)